

Exercitatio Tertia.

Qua dato ex precedentibus adinuentio-  
nibus, Epactali N° in nouo, & Aureo N°  
in Veteri Calendario, atq; utriusq; suis Domini-  
calibus literis, pro Nouo & Veteri Calendario In-  
teruallum minus cura festis Mobilib. explicantur.

**H**oc in loco concludimus usum Sexti Canonis in  
Romano Calendario eiusq; exemplo Gregoriano, in quo duabus Tabellis,  
antiqua & noua, reformatis, dispositio Mobilium festiuitatum, à Septuagesima ad Do-  
minicam Aduentus, octo insignioribus festis diebus, transsumitur. Quomodo autem  
tem ibidem, ita & hic docuimus, ex ingressu Epactalis N: atq; litere Dominicalis, in  
aliam nouam de hoc negocio à nobis constructam Tabulam, omni operationem absolue-  
re. Primum autem in hac Tab. C. dispositio consignationis annotanda est. Continet ipsa  
duas partes, sinistram & dextram. In sinistra ordo inuentionis Interualli, ut vocant, mi-  
noris continetur, in dextra correspondens annotatio Mobilium, quibus nimirum Mensium  
diebus illæ festiuitates, iuxta inuentum Interuallum minus sint dato tempore obseruandæ.  
Utraq; uero constat 35. lineis per transversum directis, quib. nimirum Mobilia festa citius  
aut tardius in anno interuenire queunt. Prior sinisterorsum posita pars, iuxta numeros  
35. linearum, quatuor potiorib. columnis nobis obijcitur. Prima rubra respectum in annos  
Bisextiles, literis pariter ex nigra sequente adhibitis, obseruat: altera nigra sola ad Com-  
munes annos refertur: Et utraq; in utroq; Calendario usurpatur. Litere priores deno-  
tant Dominicales, & numeri sequentes, prior septimanas, aliter dies, ut vocant, concur-  
rentes, definit. Tertia columna continet Epactales numeros, nigros cum 12.  
& rubros cum 13 G, in usu noui Calendarij: Et quarta Aureos N. etiam alterno colo-  
re eiusdem significationis in usu Veteris Calendarij.

Operatio est talis. Datis à prioribus Exercitationib. Epactali N° & Dominicali litera  
ra. pro nouo Calendario, uel Aureo N° cum sua litera pro Veteri, ingressus faciendus est  
aut in tertiam columnam cum Epactali, aut quartam cum Aureo N°. Quibus è regione  
ordinis septenarij [toties. n. quilibet N. adscribitur] conueniens unica litera Dominicalis  
inter nigros, si proponitur Communis annus, uel duplex pariter inter rubros & nigros, si Bi-  
sextilis præsto est, inquirenda [qui concursus non nisi semel accidere potest]. In quacumq;  
linea igitur dicta consonantia occurrerit, in ea hærendum erit uersus dextram progrediendo  
per alteram tab. partem. Prius uero iuxta literam aut literas Dominicales, septimanas ac  
dies superflui Interualli minoris, rubra Bisextili & Comuni anno respicienda & uul-  
gari modo in usum accommodanda, requiruntur. Deinde ab eo loco per directam transiendæ  
altera pars Tab. C. uersus dextram, in qua numeri dierum in mensibus iuxta superiorem in-  
scriptionem sunt diiudicandj: Ubi in prima Columnella characteres feriarum septimanae, qd.  
anni initium à Ianuario orditur, extant, rubri pro Bisextili & nigri pro Comuni anno re-  
cipiendj. Sequentes due columnellæ festiuitatj Trium regum inseruiunt, in quibus primum fe-  
ria quam occupat, deinde Dominicj dies usq; ad Septuagesimam intercepti, consignantur, colo-  
ribus ad priorem formam discretis. Postmodum dies Septuagesimæ ac Esto mihi, duplici colore

quosq;